

www.e-rara.ch

Joh. Ludovici Fabricicii Opera omnia

Fabricius, Johann Ludwig

Tiguri, a. 1698

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13320>

Dialexeos casuisticae inter Theophilum et Eubulum, de baptismo infantibus heterodoxorum conferendo,

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ΔΙΑΛΕΞΕΩΣ CASUISTICÆ

Inter

THEOPHILUM ET EUBULUM,

De

BAPTISMO INFANTIBUS
HETERODOXORUM CON-
FERENDO,

PARS PRIMA.

THEOPH.

Quicquid ex fide non est, peccatum est. Quicquid igitur in iis, quæ ad Dei cultum, & Regni Cœlorum administrationem pertinent, à nobis ambigua conscientia peragitur, ita ut hæsitemus, an supremo Legislatori gratum sit & acceptum, an verò invisum atque prohibitum; illud licet ex se legitimum, & natura sua bonum, ratione tamen dubitantis iudicii nostri malum est & oculis Dei exosum. Nec bonæ frugis servus aut subditus fidelis, si Dominum ac Principem suum ex animo vereatur & amet, Eiusque Gratiæ sibi tuendæ unicè sit anxius, quicquam in majoris momenti rebus, unde præsertim salutem suam fortunâsque omnes pendere novit, committet, de quo ambigat, an in meliorem partem sit accepturus. Nec prudens & Domestica pacis studiosa Conjux aliud molitur, quam quod Marito non displiciturum esse intelligit, providèque abstinet ab iis, unde offensam atque dissidium oriturum conjectat. Qui enim alterius Gratiam ad eò leviter in discrimen adducere & in lubrico ponere non veretur, is certè eam nihili æstimat, nec jacturam ejus iniquè feret. Egone igitur, mi Eubule, in ipsa mysteriorum Dei administratione ea peragam, quæ an Ipsi placitura sint, nescio; imò quæ Voluntati Ipsius adversari non obscuris argumentis colligo? Egone Dulcissimi Mei Sospitatoris ac Sponsi animos temerariâ actione pertentem, nec ab ea potius abstineam quæ cum divortii periculo est conjuncta? An qui vitam suam amat, appositum sibi ferculum quod veneno immixtum suspicatur, contrectabit? Ego æternam animi mei vitam ad eò vili pendam, ut ab eo, quod illam eripere mihi possit, non temperem?

EUB. Ambiguae conscientiae indicem credo ambiguum Tuum sermo-
nem. Adeo non intelligo quod tendas.

THEOPH. Nimirum istae sunt cogitationes, quae à multo jam tempore
me discruciant, sed quas non tutius, quam in sinum Tuum effundi posse spero.
Quae vitae meae ratio atque conditio sit, nostri. Ministrum in Ecclesia & mysterio-
rum suorum Oeconomum me constituit Deus. *Oeconomus autem fidelis repe-
riatur, oportet.* Fidelitas verò ex sincera & accurata Praescriptorum observantia
aestimari debet, extra quorum limites nihil mihi in officii functione sit susci-
piendum. Jam autem aliunde faciendum mihi injungitur id, de quo certus fie-
ri non possum, an & Divinae Voluntati sit consentaneum. Humana quidem
objicitur Autoritas; Principum mandata; Antecessorum exempla; Vetu-
sta Ecclesiae hujus praxis; verum ista omnia suspensam conscientiam firmare,
aut agitatam tranquillare non possunt, Immoto principio opus est, quo fun-
data requiescat.

EUB. Imò verò quisunque ille sit scrupulus, non adeo exercere Te de-
bebat, si Factum istud à Summa, quam Deus inter mortales constituit Potestate
mandatum, si Praedecessorum exemplis firmatum, si Doctorum atque Piorum
Hominum judiciis comprobatum, si vetustam denique Ecclesiae consuetudine
receptum sit, nisi Tu evidentissima in contrariam sententiam argumenta ha-
beris. Nec enim conscientiae nostrae circa res in praxi constitutas temere
scrupulos injicere, aut ut ab aliis injiciantur, pati debemus: alioquin actio-
num nostrarum cursus continuè interciperetur, humanaeque societatis consti-
tutio tum in Sacris, tum in Civilibus everteretur negotiis. Quis immotam
unquam plenamque fidem tenebit, adeoque ex sententia Tua, quis boni quid
legitimè aggredietur, si mentem quibuscunque fluctibus jactandam offerat,
nec eos potius, à quibus se commotum iri praesentiat, declinet? Qui exco-
gitandis circa officium suum difficultatibus temere indulget, putasne illum
unquam à scrupulis immunem fore? Si igitur Ipsi à functione ordinaria, us-
que dum tricae istae explicitae fuerint, abstinendum sit, quantus obsecro se-
quetur officiorum omnium neglectus, quanta rerum inducetur confusio?
Cessabunt judicia, vacabunt pulpita, desertum erit forum, nec servus hero,
nec discipulus praepetori, nec miles Imperatori, nec subditi togato Magistra-
tui parebunt, donec quisque scrupulos suos exemptos habeat. Pronius cuius-
que vel nativa, vel affectata etiam ingenii imbecillitate ac meticulosa super-
stitione, omnia erunt perplexabilia, ac scrupulorum plena, cunctaque vita no-
stra in otiosam disputationem convertetur. Quanam ex bellis istiusmodi
principiis exurget humanarum rerum facies, erecto ubivis regionum *casuisti-
co tribunali*? Dices, me fortè laxius de hominum conscientia teneriter habenda
sentire. *Amesium* igitur audi Theologum ad rigorem usque pium, quem
in isto quaestionum genere tibi perplacere novi. *Is lib. 1. de Conscientia cap. 3.*
juvat

juvat, inquit, vitare cogitationem de illis rebus, unde scrupuli oriuntur. Quando semel enim movetur phantasia, multi motus consequuntur, qui sine magna difficultate non possunt compesci, sicut in lateribus ordine contextis, uno cadente, ceteri sequuntur: *S* hinc multiplicantur scrupuli in conscientiis (ut loquuntur) timoratis. Attentio ad scrupulos ratione tollendos, scrupulos saepe parit, vel auget. Quòd si non possint amoveri, quin adhuc sint molesti, licitum *S* consultum est agere contra istiusmodi scrupulos.

Neque hoc est agere contra conscientiam, sed secundum conscientiam. Scrupulus enim est formido temeraria, *S* sine fundamento, atque adeò non potest obligare. Imò ex consuetudine agendi contra huiusmodi scrupulos, conscientia ipsa redditur firmitior. Hæc ille.

THEOPH. Quæ dicis, agnosco vera esse, sed ad meum statum non ac commodata. Non enim de scrupulosa, sed de dubia conscientia conqueror. Non formido tantum aliqua ex nullo, vel ex levibus argumentis exurgens me divexat, sed omninò circa actionem meam dubito, assensum inter & dissentium medius hærens. In hoc statu cum agam, quod ago, ex fide non ago.

EVB. Equidem si subtilia sectemur, discrimen inter conscientiam dubiam & scrupulosam facillè deprehendimus; an verò illi, qui istiusmodi angoribus torquentur, adeò accurate discernere ista possint, multum ergo dubito. Existimo enim sapiusculè dubiam conscientiam nobis ipsis videri, quæ non nisi scrupulosa est, vel saltem à scrupulosa parum recedit. Verùm quicquid ejus sit, dubia quoque ista tibi deponenda, & vel vi cogitationes istas, quæ in diversa te trahunt, excutiendas, animumque in præscripti officii observantia obfirmandum esse censeo.

THEOPH. Imò verò hoc unum expeto, ut rationibus quæ animum meum perplexum reddunt, satisfiat.

EVB. Nimiùm festinas, mi Theophile, nec justa petis. Hoc primùm mihi respondeas velim, an rationes, quæ demandatæ functionis observantiam tibi dissuadent, certissimæ sint atque evidentissimæ, nec ne? Si tales esse dicas, jam non dubiam & in æquilibrio suspensam, sed ad alteram partem per eas determinatam conscientiam geris. Sin minùs, jam demonstrabo eas non operosis responsionibus dissolvendas, nec contrariis rationibus debellandas, sed sereno animo despiciendas ac simpliciter exterminandas esse, eodem scilicet instituto, quo scrupulosam conscientiam tractari præscribit *Amesius*.

THEOPH. Id verò nondum assequor. Licet enim meæ dubitandi rationes non sint certissimæ atque evidentissimæ (unde fit, ut nec animum meum hæcenus determinaverint) tamen cum in æquilibrio à contrariis rationibus me reducant, nescio quo jure illas potius quàm istas abjicerem; videntur enim utraq; paræ ponderis, adeòque æquâ lance & pari modo ac jure pensiculandæ.

EVB. Quid verò si ostendam, mi Theophile, nunquam fieri posse, ut ratio-

nes dubitandi, quas Tu oppositis rationibus æquipollere putas, in ista hypothesi, in qua versaris, æquale cum iis pondus habeant? Distinctè Tibi affirmo, id fieri nulla ratione posse. Nec si ad statum Tuum quem mihi exposuisti attendas, fieri potest, ut in ancipiti ac bivio Te stare putes, adedque confidenter edico, dubiam Tibi conscientiam non esse, id quod jam statim demonstratum dabo.

THEOPH. Miror equidem, quibus artibus mihi sis persuasurus, ea quæ adeo vividè in me sentio, nulla esse; nec facilè inducar, ut credam, conscientiam meam Tibi exactiùs quàm mihi esse perspectam. Tune lapillum, ubi me urgeat, scias, ego nesciam.

EVB. Ex ipsis verbis Tuis judico. In mentem modò revoca quæ dixisti. Scilicet à Suprema in his terris Potestate aliquid Tibi injunctum, de quo an Divinæ Voluntati consentiat, ambigis, imò argumentis licet non evidentissimis ac certissimis, non levibus tamen, nec adedò obscuris contrarium colligis. Jam non dicam, quantum apud Te valere debeat *Supereminentis Potestatis* auctoritas, non solùm ad externas actiones in Societate humana dirigendas, verùm etiam ad internum illarum principium ipsamque adedò conscientiam. Qui enim concedit, multùm illam facere ad Honestatem externis actionibus conciliandam, ille certè negare non potest, auctoritatem illam ad ipsam conscientiam pertingere, cum ipsa quoque externa honestas in internum Volentis principium, unde oritur, refundi debeat, omnisque humana actio ex Agentis animo vel bona, vel mala esse æstimetur. Prætermitto, Magistratum semper præsumi debere quòd cum ratione imperet, ipsiusque rectæ rationis dictamen hoc esse; *Privatam Rationem Publicæ submitti ac cedere debere. Unde nec ipsorum mandata censura subditorum subjiciuntur, nec fas arbitramur esse Privatis, in legum sibi latarum justitiam & æquitatem scrupulosius inquirere.* Verba hæc non mea sunt, sed Celeberrimi Tui Præceptoris *Maresii*. Nec aliter se res habere potest, nisi ima summis mutare, & subditos in Tribunali sedere, Magistratus in plano stare jubeas. Verùm ista omnia mitto. Strictiùs ex ipsis Scripturarum oraculis tecum agam. Nunquid fide Divina credis; *Omnem animam Potestatibus supereminentibus subjectam esse, nec Potestatem esse nisi à Deo & que sunt Potestates à Deo ordinatas esse, adedò ut quisquis Potestati obstat, Dei ordinationi obstat, qui autem obstat, ipsi sibi condemnationem auferant: quandoquidem Dei Minister existit, cui necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, adedòque propter Dominum, sive Potestas illa sit Rex tanquam supereminens, sive Præsides ut qui per Eam mittuntur.* Ista à Deo clarè & perspicuè mandata esse, nunquid certissimè atque evidentissimè nôsti.

THEOPH. Novi illa quidem, sed & istud; *Plus Deo quàm hominibus obediendum.* Quæ igitur de obedientia erga superiores præcepit Deus, non sine exceptione sunt intelligenda.

EVB. Rectè, sed quænam illa est exceptio?

THEOPH. Obediendum, nisi ubi, Superiorum mandata Dei, ut Supremi Omnium Principis, Voluntati adversentur.

EVB. Optimè. Sed nunquid vides exceptionem illam Tibi quoque evidentissimam & pari certitudine in Sacris literis fundatam esse debere?

THEOPH. Omnino. Sed & ego, Magistratui quando Deo contradicit, non esse obediendum, æquè certò & evidenter scio, atque scio, Ipsi in aliis omnibus esse obediendum.

EVB. Rectè. Utrunque enim Scriptura evidenter Te docet. Verùm iterum audi, sodes, quando regulam generalem certissimam & evidentissimam habes, putasne exceptionem admitti posse, de qua non æquè certus sis, à Deo datam esse, quàm certus es, regulam ab ipso esse præscriptam? Nunquid tamdiu generali præcepto inhærendum, donec minimum tantâ certitudine, quantâ ipsum præceptum stabilitum fuit, exceptio quoque sit confirmata? Vel an putas, quasçunque rationes sufficere ad exemptiones istiusmodi obtrudendas, quibus tandem omne Dei mandatum eludi atque evacuari poterit?

THEOPH. Non video, quorsum ista disputes. Haud enim ignoro, à generali Dei Mandato non esse recedendum, donec certissimè constiterit, exceptionem ab eodem Legislatore positam esse; nec licet evidentia & certa relinquere, ut obscura & dubia sequamur. Verùm hæc nihil ad rem, jam enim certum est & indubitatum, Deum apposuisse exceptionem hanc; *NISI MAGISTRATUS aliquid imperet Ipsi Voluntati contrarium.*

EVB. Generalem quidem isthanc exceptionem evidenter & certò nôsti. Verùm id minimè sufficit. Oportet enim, quando Magistratui obedientiam mandati alicujus denegas, speciatim scias, id quod detrectas, Divinæ voluntati contrarium esse, adeoque ad *Exceptionem* pertinere. Idque teneris scire, æquè certè & evidenter, atque scis ipsam regulam, alioquin in aprico jacentem veritatem relinqueres, & sectareris obscura atque incerta. Paucis omnia comprehendam. Fateris, *obedientiam deberi Magistratui.* Excipis aliquod mandatum (quod quidem quale præcisè sit, nondum exposuisti) *Quæro*, cur mandatum hoc excipias? Respondes, quia voluntati Divinæ contrarium. In isto; an id æquè certò & evidenter nôsti quàm certò & evidenter persuasum habes, mandatis Supereminentium Potestatum esse obtemperandum? Si æquè evidenter nôsti, nôsti evidentissimè, (nihil enim evidentius hac propositione; *Magistratui est obediendum*) adeoque non habes *conscientiam dubiam*; conscientia enim evidentissimis rationibus informata, non potest esse dubia. Si non æquè evidenter nôsti, utique iterum conscientiam dubiam non habes. Infirmiores enim & obscuriores ratiunculæ clarissimo atque indubitato Dei mandato æquivalere, aut animum in æquilibrio suspendere uti non debent,

ita

ita nec possunt. Quicquid igitur respondeas, in eo statu in quo Te constitutum dixisti, aperte convinceris, dubiam Tibi conscientiam non esse, sed si Tibi rectè attendas, determinatam manere vi mandati evidentissimi, *Magistratibus esse obediendum*, tantisper dum evidentissimè noveris, *id quod jubent, Divinis mandatis adversari*.

THEOPH. Enimverò satis percipio quæ dicis, at nondum tamen ea conscientiae meae satisfaciunt. Non enim certò scio, an quod *Supereminens Potestas* mihi imperat, Deo sit gratum.

EV B. Enecas. Aliud est, certò scire, quòd Deo gratum non sit; aliud est, nescire an sit gratum. Certò scis inobedientiam adversus Magistratum Deo ingratiſſimam esse; nisi igitur æquè certò scias id, quod Magistratus speciatim jubet, Deo esse ingratum, nunquid vides legi generali insistendum, juxta quam *Supereminentis Potestatis* Voluntas tamdiu censeretur debet esse Dei voluntas, donec de contrario certissimè atque evidentissimè constet?

THEOPH. Sed quid ad argumenta, quæ sub initium nostri hujus colloquii proposui?

EV B. Soluta illa jam jacent & fracta. Primùm enim ostensum est, si id facis, quod *Supereminens Potestas* jubet, *Te ex fide agere*. Id enim Fide Divinâ instructus es agere. Quòd si verò absque æquè certa contrarii scientiâ jussum detrectes, tunc demùm sine fide ages. Proinde si in functione injuncta pergis, jam tutus es; si abstines, in periculum temerè Te conjicis. Quantum porrò ad comparationes quibus scrupulum Tuum amplificare & illustrare voluisti, illæ meam responſionem confirmant. Fac enim Regem esse, qui Provinciæ alicujus incolis generali edicto injungat, ut Legato suo in omnibus obediant, exceptis iis quæ propriæ suæ, Regis puta, Voluntati repugnent. Nunquid ibi subditi ad Obedientiam Legato præstandam tamdiu obligantur, donec, ipsum contra Regis Voluntatem agere æquè certò sciant atque sciunt, hoc Regis esse edictum ut in aliis omnibus Ipsi obediant? Vel an cuiuspiam sine rebellionis nota liceret, Proregis istius jussa detrectare eo colore, quòd non satis sibi perspectum & speciatim exploratum habuerit, an eadem etiam Regis mens esset.

Quam verò comparationem à Cibo veneni suspecto transsumisti, illa minùs aptè concinnata & aliena videtur; rectè verò instituta responſum meum firmat. Finge enim, dirâ Te fame contabescere & jam in ipsis Orci faucibus emaciatum hære; accurrat Amicus, de cujus integerrima fide dubitare non possis; moneat ille, ut Cibum omnem, quem Oeconomus sit allaturus, confidenter capias, si quæ tamen fercula ipsemet aconito incocta esse noeret, ab iis abſtineat. Jam igitur missilia apponit Oeconomus; famelica mors Te totum depascitur; de Amico non dubitas, certus es illum nec fallere Te velle nec ab Oeconomo falli potuisse: nî fugientem vitam statim sistas ac re-

pareas, occidis. Quid hæres? Vescere sine formidine omni isto cibo, quem tabe immixtum esse Amicus non designavit. Eadem Tua nunc, mi Theophile, est conditio. Deus edictum promulgat. Nè pareas, in offensionem cadis certam, adeò ut si stricto jure tecum ageretur, morte moreris. At, inquis, nonnulla Deus ab edicto isto excepit, quæ si committerem, itidem perirem. Ita est; sed nunquid clarè itidem & distinctè edixisse oportuit, quænam illa sint, quæ exceperit. Annuis. Quid igitur ab officio Tuo interim cessas? Nunquid illud Tibi clarè est demandatum? Scilicet metuis, ne quid lethiferi ibi lateat? At illud lethiferum, si tale esset, Tibi fuisset indicatum, jussusque fuisses abstinere? Etiamnum hæres? O præposteram sapientiam, quæ certò & impræfens perire mavis quàm casam incertæ mortis fortitudinem deponere! Siccine putas conscientiæ tutò consuli.

THEOPH. Rectè quidem ista se habent, si de civili aliquo negotio ageretur. At causa sacra est & religiosa, quæ istam mihi anxietatem parit. Ad eam autem mandatum Dei de obedientia erga Magistratum nihil facit.

EUB. Nondum quidem speciatim explicuisti quis ille sit, qui Te urget, scrupulus. Unde non nisi universim respondere Tibi possum. Præsumo tamen quicquid istud sit negotii, non tam ad intrinsecam salutaris fidei constitutionem, quàm ad extrinsecam officii Tui administrationem pertinere. Enimverò Sacra Scriptura obedientiam erga Superiores severè injungit, distinctionem verò istam inter Religiosa & Civilia non adjicit, quin potiùs eam confundit & evertit. Etenim *Supereminentes Potestates* non unius alteriusvè præcepti, sed totius suæ Legis custodes atque Vindices constituit, nec secundam mandatorum suorum tabulam à prima sejunxit. Nec *Deorum Deus* nomen suum cum *Ipsis* communicavit, Eòsque appellavit *Deos*, Exod. XXII. 28. Psal. LXXXII. 6. ex eo solùm, quòd terrestri & peritura societati prospicerent, abjecto Divinarum rerum præsidio atque regimine. Nec *Summus Israëlitis Pastor Pastores* Eos vocat. Es. XLIV. 23. Jer. XLIX. 19. hoc solùm nomine quòd subditis tanquam *Equorum* aut *Mulorum* armentis pabulum & animalis vitæ subsidia procurent, de æterno animorum pasto nihil sint solliciti. Et quando *Patres* dicuntur, nunquid ad officium eorum pertinebit *ὁν παιδεία καὶ νεότης Κυεῖς* Eph. VI. 4. Filios suos educare?

THEOPH. Non nego, hanc *Ipsis* curam incumbere.

EUB. At curam cum Imperio & potestate conjunctam, qualis est *Dei Pastoris, Patris* Cura, quæ *Homines, Gregem, Filios* ad obedientiam obligat. Sic in Veteris Israëlitis politia Moses non *servilem* aut inferiorem, sed *Regiam* Sacrarum rerum curam habuit, Deut. XXXIII. 5. nec civilium solùm causarum *Judices* sed & *Aaronem* & *Sacerdotes* instituit, nec illis solùm sed & his mandata dedit. Quòd si verò discrimen quodpiam poni nec sacras pariter atque civiles leges per unam *Supereminentem Potestatem* administrari atque custodiri voluisset Deus, cur non distinctè *Illas* per *Aaronem*, has verò per *Moysem* Populo publicasset? Cur unus

Moses utraque proposuit? Porro jus istud in sequentibus seculis & *Josua*, & *David*, & *Salomon*, & *Asa*, & *Josaphat*, & *Joas*, & *Josias*, & quicumque erant pii, Reges ac Principes studiosè exercuerunt, itaut quicquid ad Dei cultum faceret, Ipsi ordinarint, instaurarint atque observandum præceperint, non ex aliorum præscripto tanquam Executores ac Ministri, sed tanquam Supremi Judaicæ Gentis præsides, Deique Diaconi. Et certè cum Mortalium animos nihil æquè devinciat atque religio, utpote à qua & legum reverentia, & jurisjurandi sanctimonia, & integer Virtutis amor, adeoque Publica tranquillitas dependet; quo colore, quæso, *Regibus* & *qui in sublimi constituti sunt*, denegabitur Jus circa Sacra, sine quo Respublica non contineri, adeoque nec *quieta vita in omni pietate & honestate peragi potest*? Ex quo patet, alienam hinc esse Tuam illam inter Civilia & Sacra distinctionem, cum utrorumque regimen *Supereminenti Potestati* sit commissum.

THEOPH. Quid audio, Eubule; Mihine Cultus Divini ratio ad Magistratus arbitrium est conformanda, Ipsique subjicienda conscientia.

EVB. Non Magistratui quidem, sed Deo jubenti ut Magistratui obedias.

THEOPH. At non æquè in Sacris.

EVB. Imò, ut audivisti, in omnibus; exceptis iis, de quibus certissimè evidentissimeque constat, quòd Legi Divinæ adversentur, nullo habito discrimine, sive ad religionem, sive ad Civilem Vitam pertineant. Hæc unica & sufficiens est cautio. Verùm de his plus satis. Jam quando mecum reputo actionem istam, circa quam obortus Tibi est scrupulus, Antecessorum etiam exemplis firmatam, Doctorum & Piorum Fratrum judicio approbatam, longa demùm Ecclesiæ praxi receptam, Te quoque solemnii juramento ad Ecclesiasticæ Liturgiæ observantiam obstrictum esse, non video quid ambigas. Memineris enim Apostolici præcepti, *Prophetarum Spiritus Prophetis subordinari debere, cum Deus non in ordinationis, sed pacis Deus sit in omnibus Sanctorum Ecclesiis. Non in proprio sensu abundandum, sed non nihil Aliorum etiam deferendum esse Judicio*. Plures enim plus vident, quàm unus; nobisque facilè imponimus, dum propriis cogitationibus, ceu foetibus nostris, nimium ablandimur. Ad Ecclesiæ *Consuetudinem* facit, ut quæ longo usu observata sunt, non temerè moveantur: præterquam quòd illa, quæ jam stabilita sunt, naturalem prærogativam habeant præ illis, quæ nondum existunt, ac semper validiores rationes requirantur ad aliquid mutandum, quàm ad retinendum. Nec à *juramento*, quo conscientiam Tuam adeò sanctè obstrinxisti, temerè est recedendum, vel facilè contra illud admittendi scrupuli. Quæ omnia quidem non eo fine hinc disputo, quasi illa ad conscientiam in *pravis* actionibus confirmandam sufficere credam. Absit. Hoc solum evinco, imprudenter agere, imò gravissimè peccare Omnes Eos, qui functionem à *Supereminenti Potestate* mandatam, & *Antecessorum exemplo, Piorum judicio, Ecclesiæ praxi, jurisjurandi denique religione* stabilitam negligunt,

nisi functionem istam Deo ingrati esse, rationibus ineluctabilibus æquè certum Iplis sit, atque certum est Superioribus obediendum, juramenta servanda, Ecclesie praxin tuendam, Piorumque & Doctorum Virorum judicia æstimanda esse. Unde jam quid circa scrupulum istum Tuum faciendum sit, vides.

THEOPH. Forte si ipsam negotii hujus naturam speciatim consideraveris, deprehendes mihi sufficientia dubitandi argumenta suppetere.

EVB. De eo in crastinum diem videbimus. Jam enim non vacat.

ΔΙΑΛΕΞΕΩΣ CASUISTICÆ

Inter

THEOPHILUM ET EUBULUM,

De

BAPTISMO INFANTIBUS

HETERODOXORUM CON-

FERENDO,

PARS SECUNDA

THEOPH.

QUandoquidem, mi Eubule, hîc opportunè convenimus, & ab aliis negotiis jam nobis vacat, agedum paulisper confideamus, & quæ hesternâ die angustiae temporis intercluserunt, pro more nostro placidè disceptemus. Ego prior scrupulum qui me urget Tibi indigita- bo, & unde incidet, & quàm graviter me divexet, ostendam: Tu patientem ac benevolum advortes animum, & quâ arte ille eximi possit, dispicies. Principiò quidem ignorare non potes, Patriam isthanc nostram à diversa religionis Mortalibus incolî, & suam cuique conscientiae libertatem sub æquissimo atque prudentissimo Principis Nostri regimine constare. Nec istud est quod me movet. Novi etenim, tum ipsam naturalem æquitatem, tum Christianae religionis genium, tum Reip. salutem, tum Ecclesiae quoque commodum, libertatem istam exigere. Non is sum, qui existimem, religionis sive obtentu sive Zelo, Naturæ ac Gentium jura delenda aut pacta violanda esse. Qui coeli partem non obtinebit, is meo judicio non terris tamen ejiciendus est, nec exuendus patrimonio, licet exors cœlestis hæreditatis. Est in Republica, quem Ecclesia

non recepit; fidem Regi præstat, qui Christo nunquam dedit. Magnam rebus humanis inferret confusionem, & insignem universæ societati cladem, si quis non alios usquam tolerari vellet Cives, quàm Fideles Christo. Nec molimini isti, cui ipsa rerum natura obsistit, respondere posset successus. Non imperari enim potest fides, sed doceri, idque *Divinæ Majestati reservatum est, dominari conscientiis*. Princeps, qui gladio imminet & mortis terrore religionem incutere tentat, efficere quidem fortè potest, ut subditi veritatem mentiantur, non verò ut credant, nec Christi regnum amplificat, sed occultis tantùm hostibus ac malefidis transfugis implet. *Populus Dei voluntarius est, & quæ Ipsi sit cordis oblatio, spontanea*. Non ad cogendum, sed ad docendum missi sunt Apostoli, nec carnalibus sed *spiritualibus* instructi armis. Neque aliud dicat Reipubl. salus, ut ipsa commonstrat experientia. Prudenti enim isthac indulgentia factum est, ut arva ista spinis ac paliuris nuper obsita coli, depopulatos agros defertasque urbes nudè incolis repleri, novasque sedes exurgere videas. Unde & plurima Ecclesiæ accedunt commoda. Cum enim illa in Reipubl. hospitetur, omninò commodiùs habitat quando Reipubl. bene est, ipsique & robur & ornamentum ex eo accedit, quòd Nutritium atque Defensorem habet potentia & opibus florentem. Quin ista animi moderatione in tentoria nostra invitati atque allecti Infideles, consuetudine nostra familiariùs utuntur & mitiùs de nobis sentire discunt, unde non modo acerbum istud odium, quo adversus Ecclesiam flagrabant, non nihil remittunt, verùm etiam spes affulget certa, ad veritatis professionem adductum eos iri, modò fidei ac vitæ nostræ constet integritas.

Verùm ut ad propositum redeam, nòsti igitur, mi Eubule, diversas de Deo sententias, ac varios Numinis cultus in his regionibus tolerari. Non tamen omnibus promiscuè erroribus ac superstitionibus porta aperitur, libertate istà, ex Imperii, in quo vivimus, constitutione tres potissimùm sectæ fruuntur. Has inter numeratur, quæ ab urbis Romæ Pontifice promanat, & cui hæc regionum addictos invenias quam plurimos; Qui licèt conscientia quam vocant libertate gaudeant, non tamen publici cultus peragendi facultatem ubivis obtinent. Videas hac ipsa ex urbe diebus festis frequentissimos excurrere, ut alibi sacra sua obeant, & sacrificio, quod Catechesis nostra sacrificii Christi abnegationem ac detestabilem idololatriam vocat, impunè intersint. Illuc & liberos suos trahunt Parentes, & vel infantulos ulnis gestant, ut maturè tenellos animos avitâ superstitione imbuant innutrientque errori. Quamvis autem ista omnia licita Ipsi sint, non integrum tamen est Baptistandos illuc efferre. Mirum dictu! à mysteriis, quæ omni animo detestamur, non arceri, arceri à Baptismo, quem tamen quoad substantiam legitimum censemus! cogi Parentes ut liberos nobis baptisandos offerant, non ut concedant docendos! Ipse adèd teneor baptisare, quos non licet docere: Ecclesiæ albo inscribere Eos, quos ipsi Ecclesiæ

siæ ascribere non licet! Ecce enim à Romanis Parentibus, dum errores suos constanter profitentur, eosdemque in liberos suos transfundendi jus sibi integrum servant, infantulus mihi exhibetur Baptismate tingendus, tingitur, tinctus Parentum potestati atque curæ ita committitur, ut nec mihi nec ulli alii jus sit ab invitis eum abducere, & in veritatis professione, in quam baptisatus est, educare. Quin dum sacro fonti adstant Parentes odio atque ira in nos accensi, de tyrannide tacite conqueruntur, mihi que diras imprecantur, jamque animo præcipiunt, quibus artibus nos doctrinamque nostram infantulo exosam aliquando reddere & ab hæresi inustus baptismi nostro maculas eluere velint.

Atque hæc est illa actio, mi Eubule, circa quam oborta mihi dubitatio, an legitima esset necne. Nimirum Queritur, an Ego Verbi Divini Minister integra cum conscientia Eos baptisare possim ac debeam infantulos, qui ab utroque Parente, Avīs etiam si placet & Atavis Pontificiis prognati, ad baptisandum mihi offeruntur, non ex libera Parentum voluntate, non ex aliquo erga nostram religionem amore, sed vi & coactione legis civilis, eâ conditione, ut Parentibus integra maneat potestas liberos suos pro lubitu in iis quos sectantur erroribus educandi. nec mihi nec sponso-ribus aut Patrinis, nec cuiquam alii ullum ad Ecclesias nostras eos pertrahendi & instruendi jus competat? Ego certè existimo, & Fœderis divini Naturam, & eam quæ Sacramentis debetur reverentiam, & Sacri Codicis præscripta, & fidei analogiam, & Ipsam rectam Rationem, & communem denique totius Ecclesiæ omniumque ejus Doctorum sententiam ab istiusmodi Baptismo abhorreere. Tu verò quid de eo sentias, exprome.

E V B. Quin prior Ipse rationes Tuas affer; quas ubi examinaverimus, de veritate facilius constabit.

THEOPH. Primùm equidem extra Controversiam inter nos positum credo, Non nisi iis qui in fœdere sunt, jus ad Baptismum competere. Quòd si igitur infantuli isti in fœdere censi non possint, rem jam confectam habemus. At in eo censi non posse, ita evidens est atque certum, ut non ulteriori indigeat demonstratione. Quo enim titulo ac jure diceremus Eos participes fœderis? An ipsorummet proprio, an à Parentibus derivato? Non proprio certè. Etenim Ipsi fœdus cum Deo non inierunt, ab aliis autem initum ne cognoverunt quidem, tantùm abest ut approbarint, aut suum esse voluerint. Sed nec à Parentibus jus istud hæreditarium acceperunt, cùm in patrimonio nunquam fuerit, Ipsique Parentes nec interno, nec externo, adeòque omnino nullo Dei fœdere contineantur. Non certè interno; Consistit enim illud in vera fide ac sincero erga Redemptorem suum amore, à quibus homines istos quàm alienissimos esse constat. Nec in externo: siquidem veritatem uti nec mente cognoscunt aut probant, ita nec ore profitentur; quin potiùs genuinam Christi Ecclesiam, quæ sola Fœderatorum Domus est, & vi & arte omni oppugnant, ejusque communionem publicè detestantur. Quandoquidem igitur nec suomet

proprio nec à Parentibus transmissio jure foederis accenseri possunt infantes isti, quid, obsecro, foederis ritus atque solemnities Ipsis administrantur? Quid sigilla ad eos, ad quos tabulae ipsae nihil pertinent? Disertè Apostolus, ubi *nec Maritus infidelis in uxore sanctificatur nec uxor infidelis sanctificatur in Marito*, ibi, *liberos certò impuros esse pronunciat, nec alios agnoscit infantes Sanctos & à Profanis segregatos, quàm quorum alteruter saltem Parens Sanctus, id est, à seculo separatus & foederis ascriptus censetur.* Quò igitur jure hoc spiritualis puritatis Sacramentum immundi isti sibi vendicent? Equidem promisit Deus se in Deum fore non Adultis solùm, sed & eorum semini, at non omnium, nec omni, sed *semini Fidelium*, sed semini *Abrahami*, semini benedictio in eo qui benedictus in secula. Quid igitur semini eorum quorum ex Dei oraculo *fructus ventris est maledictus, semini serpentis, viperarumque progeniei* Divinam gratiam solenni ritu ego testificer, & Sacramenti religione confirmem, quòd Deus eorum sit *Deus, Clypeus, Rupes, Merces*? Mancipia Satanæ obsignem, quòd sint *peculium & hæreditas Domini*? Enimverò sunt illi *abalienati ab Israël politia, peregrini atque extranei quoad Testamenta, promissionum spem non habentes*; quid igitur ea ipsis concedantur insignia, quibus non nisi Christi cives, Subditi, Amici, Domestici, Hæredes ornantur, & ab aliis discernuntur? Quid militiae Christianae tessera credatur iis, qui in Satanæ castris prognati ad perpetuum cum Ecclesia gerendum bellum educantur atque exercentur? Quid thesauros familiae Dei proprios, *κεμήλια* non nisi Fidelibus destinata, foras projiciam & ut à *Porcis conculcentur*, exponam periculo? Oeconomus in domo Dei sum constitutus, ut mysteria ejus Domestici ac Conservis meis juxta præscriptum fideliter dispensem; putasne igitur ab infidelitatis, imò sacrilegii crimine me immunem fore, si extraneis, imò hostibus ea erogem? Ecquid porrò absurdius, quàm *Gratiæ Fœdus* obsignari iis qui ex *meriti pacto* se victuros confidunt, *spemque fidei justitia* propriam *operum justitiam* stabilire quærunt? Quodnam hæc fingi potest *ἐπιπρωτήμα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως εἰς θεόν*? Quænam *ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν*? Quænam ablutio à peccatis? Quodnam regenerationis lavacrum? Quid in unius Dei nomen consecrentur illi, quos novimus in unum Deum non credituros, sed in carne posituros fiduciam? Ecquid à sponsoribus stipulamur, ut Satanæ omnibusque Ejus operibus Infans renunciet, cum renuntiare non teneatur *τῆς δαιμονίων διδασκαλίαις*, sed integrum Ipsi sit, Christi regnum oppugnare, stabilire & juvare dominium Satanæ? Quid jam Infantulum per sponsores suos cogimus mentiri, qui necdum loqui addidit? Polliceri aliquid alterius nomine, quod in potestate Tua non est, & ad quod Alter nec tùm tenetur nec postea tenebitur, nunquid hoc est Deo, sanctisque ipsius Angelis ac toti Ecclesiae illudere? Quin imò & Ego quotiescunque istiusmodi Baptismum administro, mendacii me alligo; conceptis enim verbis enuntio, Sacramentum à me collatum iri infantulo, qui unà cum Parentibus suis in foedus Dei vocatus,

Ecclesiæ membrum existat. Quâ fronte autem vocatos dico illos, quia perti sunt Ecclesiæ hostes? Utique non alios baptisari iussit Christus quàm quos iussit μαθητεύσασθαι sive fieri discipulos; at verò istiusmodi Infantuli nec tùm, cùm baptisantur discipuli sunt, nec postea in disciplinam nostram traduntur. Quo pacto igitur illa cum deserto Christi instituto concilies? Porrò Sacramenta tesseræ sunt atque symbola confessionis; quid igitur baptismum nostrum suscipiunt, qui à doctrina abhorrent? Quid ritu profitentur ac vovent, quod mente & verbis detestantur atque repudiant? Quàm hæc omnia, mi Eubule, dissentanea sunt atque absona? Adde quòd fidem & resipiscentiam in Adultis semper cum Baptismo coniungit scriptura, unde earum spes saltem in Infantibus requiritur; at quomodo spes ulla fingi possit de iis, qui extra Ecclesiam educabuntur, & ab Evangelii prædicatione per Parentes atque Nutritios suos constanter abstrahentur?

EV B. Quid si dicam, Eos quidem nec in propriam jam tùm existentem, nec in Parentum fidem baptisari, sed in spem futuræ conversionis.

THEOPH. At primùm quomodo hæc congruunt cum natura sigilli, quod, re quam obsignat, semper posterius esse solet? Hiccine baptismus obsignabit, id quod in rerum natura nondum existit, sed quod obscurâ admodum conjecturâ aliquando fortè extitutum præsumitur. Imò quid dico præsumitur? Longè enim credibilius, quemadmodum ex iis quæ dicta sunt patet, istiusmodi Infantulos in paternis superstitionibus usque & usque perseveraturos.

EV B. Saltem memoria Baptismi in Ecclesia nostra suscepti nescio quem adultis inspirat religionis nostræ amorem, cùm ab ipsa natura ita firmus comparati, ut ea, quibus à teneris initiati sumus, præ aliis nobis placeant.

THEOPH. Imò contradicit experientia prope dixerim quotidiana, Eos enim, qui apud nos baptisati sunt, deprehendas infensiores Nobis esse Aliis. Nec ratio deest. Solent nimirum Parentes tantò impensiori cum cura Eos à Nobis abstrahere, & omnigenis artibus à cultu nostro alienare, quantò faciliorem ad partes nostras transitum vident. Memoria autem Baptismi istius nulla Iplis est, nisi ex Parentum Aliorumvè relatu, iniquiori ut plurimùm & ad odium nobis conciliandum accommodato; Jucunda è contrario inhæret recordatio superstitionum, quibus à prima pueritia insueverunt, & quibus tenella Ipsorum imaginatio mirificè semper affecta atque oblectata fuit. Ita Baptismus iste ad animos nobis conciliandos nihil omninò confert.

EV B. Dixerim igitur in Ecclesia censerî natos, quotquot nascuntur in Rep. quæ publicum Ecclesiæ hospitium præbet, ita ut fidelis Magistratus sit iplis instar Parentum, dum privati Parentis defectum supplet, & adultos ad audiendum Evangelii prædicationem invitat. Ita nec in privatorum Parentum, nec

in propriam, sed in Orthodoxi Magistratûs, ceu *Eminentis Patriæ Patris*, fidem rectè baptisantur.

THEOPH. Quò delaberis, mi Eubule? Jam modo sub initium colloqui nostri ostendimus, qui Remp. inhabitat, non statim ad Ecclesiam pertinere: nec in hoc negotio fingi potest Magistratus loco Parentum esse, siquidem ut paulò ante docuimus, penes Privatos Parentes illibatum manet jus educandi & erroribus innutriendi liberos suos, nec Magistratus potestatem sibi illam vindicat. Adde quòd pari ratione Judæorum, vel si qui alii hîc habitant Infidelium liberi jus ad Baptismum haberent, cùm in eadem nobiscum Rep. versentur, eundemque habeant *Eminentem Patriæ Patrem*.

EVB. Enimverò alia *Romanensium*, alia *Judæorum*, cæterorumvè istiusmodi Infidelium est ratio. Illi enim *generali* fœdere continentur; Hi *nullo*.

THEOPH. Ista verò dispar ratio ad argumentum meum nihil pertinet. Manet enim *respectu Reipublicæ* & illorum & horum eadem conditio, sed nec in univèrsum responsio isthæc quicquam habet roboris. Quòdnam etenim Tu mihi narras *fœdus generale*? Quàm vereor, ne Metaphysicorum hoc sit commentum!

EVB. Est ipsum Dei fœdus, consideratum quoad *generales atque communes fidei articulos, seclusis illis Dogmatibus, quæ Romanenses inter & nos divortium faciunt*.

THEOPH. Si velim molestus esse, quæram, ubinam Scriptura Metaphysici istiusmodi pacti mentionem injecerit? ubinam, & quando Deus *abstractum* tale fœdus cum hominibus pepigerit, & ubinam Baptismum jusserit Ejus sigillum esse? Verùm ista mitto, ut tribus verbis ostendam, meram esse chimæram & cassos sine mente sonos. Scilicet ais, Romanenses in *generali fœdere esse quoad articulos nobiscum communes*. Quæro igitur, an fœdus quod cum Deo se habere existimant, articulis istis penitus absolvatur necnè; sive, ut clariùs loquar, an præter articulos illos communes, non alios etiam habeant quos æquè ad fœderis substantiam pertinere credunt, quibus nisi assentiamur, anathematis fulmine ex Ecclesiæ sinu excutimur?

EVB. Habent utique, eosque nostris articulis oppositos.

THEOPH. Ergò jam non existunt in fœdere aliquo *generali & communi*, sed in *speciali*, eoque nobis *opposito*.

EVB. Ita quidem est; at licet tamen abstrahere *communia à propriis*.

THEOPH. Licet abstrahere, at nec separare nec separatim ista hîc considerare licet. Quæritur enim de ipso toto fœdere, in quo non per fictionem aliquam, sed actu & revera Romanenses contineantur. Cùm igitur jam certum sit, quòd propria æque atque communia dogmata ad fœderis illorum constitutionem pertineant, certum itidem est, separationem illam frustra tentari. Quapropter cùm Romanenses adjectis plurimis alienissimis conditionibus *specialibus*

libus substantiam Divini foederis everterint, quid evidentius quàm ipsos non commune nobiscum servare foedus, sed specialia ac nostris adversa pacta effinxisse? Quaro igitur porrò, an Pontificius mihi oblatu infans in Tuum istud foedus *generale*, quod communibus tantum articulis constare fingis, mihi sit baptisandus an in *speciale*.

EVB. Quid si dixerim in *generale*?

THEOPH. Innumera cumulabis absurda. Præterquàm enim quòd Christus in istiusmodi *metaphysicâ subtilitate abstractum* foedus neminem unquam baptisari jufferit, nec Apostoli aut Apostolici Viri quempiam isto modo baptisasse uspiam legantur, adeoque nec mandato nec idoneo exemplo Tuam istam responsionem tueri possis; cedò, cur non eodem jure *Photinianorum* aliorumvé consimilium infantulos baptisare liceat in *foedus generale*, nam & Illi communia nobiscum dogmata profitentur?

EVB. At multò pauciora quàm Romanenses.

THEOPH. Id verò nihil ad rem, nisi fortè concedere velis, communia ista Pontificiorum dogmata ad salutem sufficere: *Photinianorum*, non sufficere.

EVB. Id verò non concesserim: neutra enim meo iudicio sufficiunt.

THEOPH. Ergò vides in hoc negotio utrorumque eandem rationem esse. Quemadmodum enim non *Horum* licèt pauciora, ita nec *Illorum* licèt plura *communìa* dogmata essentiam salutaris doctrinæ absolvunt. Quapropter impensè te rogo, mensuram exhibeas, juxta quam dignoscere possim, quænam, & quousque illa necessaria sint dogmata ad foederis *generalis* constitutionem.

Porrò me edoceas quæso, si in sententiam Tuam descendero, quid respondendum sit iis, qui me riderent, ac dicerent, Baptisanti mihi necessariam fore *intentionem generalem*, faciendi, non id quod Ecclesia Apostolica, aut Pontificia, sed quod Ecclesia in genere facit, adeoque & omninò requiri, ut in *abstrahendis* Metaphysicis gradibus me gnaviter exerceam?

EVB. Dices, ex nostra hypothese non opus esse intentione Ministri ad Baptismi substantiam; id quod tute ipse nôsti.

THEOPH. Novi quidem; sed quid si excipiant aliam hujus Baptismi rationem esse? Dicent enim, Lavacrum à Christo institutum, ex *ipsius præcepto*, adeoque *naturâ suâ* minimè restrictum esse ad *generale* istud foedus quod narras; unde sequitur, quòd si illuc restringi debeat, id non aliter fieri posse, quàm per *intentionem* sive *ministrantis* sive *Recipientis*; at non per *intentionem recipientis*, is enim de eo vel non cogitat, vel si cogitaret, eò tamen non restringeret: ergò requiritur *intentio Ministrantis*, alioquin certè Baptismus iste ex Christi instituto integram suam *relationem*, non ad communia & generalia tantum, sed ad specialia quoque dogmata, uno verbo ad omnia quæ foederis substantiam constituunt, servabit. At quàm absurdum, ut Minister vi suæ intentionis, Baptismi relationem jam contrahere, jam laxare, jam ad nescio quod

Generale, jam ad *speciale* foedus constringere dicatur, & quomodo hæc cum nostra conciliabuntur hypothefi?

Dic porro, quomodo effugiam, ne *Adstantibus* ſpectatoribus atque Auditoribus imponere videar? Quis enim illorum omnium ſibi imaginari poſſet, me baptiſare *in genere*, cum & Liturgiæ Eccleſiaſticae formula, quâ utor, & Eccleſia, in qua conſtitutus Paſtoris officium obeo, & omnium circumſtantiarum ratio contrarium ſuadeat, omnibuſque perſuadeat, me *citra Ontologicas ſubtilitates ex æquo* & bono Infantulum iſtum baptiſare *in eum* doctrinæ typum quem nos profitemur.

Tandem, quid respondeam, ſi quis roget, *cuinam Eccleſie per genericum* iſtum Baptiſmum inferatur infantulus ille? Certè mihi videtur, *nulli*. Nam non noſtræ magis quàm Pontificiæ, nec Pontificiæ magis quàm noſtræ. An ergò utrique? Id fieri non poteſt. Relinquitur igitur, quòd *neutri*.

E V B. Imò nec illi nec iſti, ſed *Catholica* Eccleſiæ.

THEOPH. Erras mi Eubule. Catholica enim Eccleſia non ita dicitur, propterea quòd generalibus & communibus, quæ ab omnibus vel pluribus Hæreticis admittantur, principiis contenta, ſpecialiores fidei concluſiones negligat, ſed potiùs quia *omnem in univerſum* ſalubrem doctrinam conſtanter & ubique profitetur. Plura adderem, niſi ex his jam abunde pateret; *Baptiſmum in genericum iſtud Tuum foedus, merum ſigmentum eſſe*.

E V B. Quid incommodi igitur, ſi in *ſpeciale* foedus baptiſari dicam?

THEOPH. Licebit ibi quærere, an in *ſpeciale noſtrum*, an in *ſpeciale Romanenſium*? ſive an in totam Evangelicam veritatem, quam nos profitemur, an verò in univerſam illam & Communium dogmatum, & priorum errorum complexionem, quæ Pontificiæ religionis ſubſtantiam conſtituit?

E V B. Captas me. Quid ſi in noſtræ doctrinæ formam baptiſentur?

THEOPH. Si hoc dicas, præterquàm quòd Tuam de generali foedere opinionem retractas, jam Te omnes difficultates manent ac premunt, quas hætenus movi, nec vel minimam declinas. Adde quòd hac ratione deteſtabilis Apoſtaſiæ certo præſentiſſimoque periculo per Baptiſmum implicaretur miſellus Infantulus. Vovet enim ille veritatis profeſſionem, & tamen Errori ſtatim mancipatur, ac ne Evangelicam lucem aſpiciat, in tenebrarum regnum conſeſtim ab iſis, in quorum eſt poteſtate, abripitur, nobis nihil obnitentibus.

E V B. An igitur dicamus, in Pontificiam religionem à nobis baptiſandum eſſe?

THEOPH. Quis verò noſtrùm hoc dicat, cui bonæ mentis & ſanæ conſcientiæ vel mica inſit? Egonè ſacroſanctâ iſta ſolemnitate eò uſque abutar, ut ejus interventu infantulos Pontifici Romano conſecrem? Egonè Baptiſmatis voto Ipſos obſtringam ad Miſſæ ſacrificium, ad ſanctorum invocationem, ad horrorem purgatorii, ad abnegationem ſatiſfactionis Chriſti & ſtabilimentum propriæ in operibus juſtiæ?

Quin

Quin igitur ingenuè mecum fatere, quidvis dicas & quocunque Te veritas, talem Baptismum nulla ratione defendi posse.

Suspiciabar antea, cum primùm *generalis fœderis* mentionem faceres, alio Te usurum esse effugio: Dicturum scilicet, quòd quemadmodum Deus in Adamo cum toto Hominum genere *patrum operum* sanciverat ante lapsum, ita etiam post lapsum, non cum aliquibus tantum, sed cum omnibus ac singulis Mortalibus *gratia fœdus* pepigerit in eodem Adamo, factâ universali quæ *Genes. III.* extet promissione. Inde enim sequeretur, nullum omninò nasci hominem, quin fœderis sit particeps, ejusque neminem exortem esse præter eos qui voluntariè illud rejecerint.

E V B. Absit, Hypothesin istam non foveo.

T H E O P H. Et si eam foveres, sententiæ Turæ, quâ Muhammedanorum & Paganorum Aliorumvé Infidelium liberos à Baptismo secludis, non conveniret.

Ex æquo enim & sine ullo discrimine omnes omnium hominum infantuli ad sacrum istud balneum admitti deberent. Verùm non opus est pluribus agere. Abundè jam credo perspectum habes, non temerè circa materiem istam scrupulum mihi obortum esse: quid scrupulum obortum dico? quin imò demonstratum, hanc Baptismi, de qua disputamus, administrationem omni ratione, mandato, exemplo idoneo destitutam, adeoque prorsus illegitimam esse.

Nec alia fuit Gravissimorum Theologorum sententia. In epistolis *Calvini* Ep. 147. extant *Farelli* literæ, quibus consimilis planè casus describitur. Scilicet *Mulier* quædam filiam jam Evangelio iniciatam & Sacræ Cœnæ participem elocavit *Viro infesto doctrinæ Christi*: & ita locata puella defecit ab Evangelio seque adjunxit Pontificiis. Cumque rogata esset, an vellet ad Evangelium redire ac perpetuò in eo vivere, respondit, oportere se *Virum sequi* & vivere pro more eorum, apud quos ageret. Interim puellam parit. *Avia* natam offerre vult baptisandam. At vero *Farellus* respondit non admittendam esse, quòd in fœdere non sit, cum neuter *Parents* fidelis sit neque in Ecclesia Christi agat & admittatur, neque posse quenquam intingi nisi fuerit in fœdere. Excipiebat *Farelli* Collega, *Aviam* esse in fœdere & suscipere *filiole* curam, & quandiu vivet, daturam esse operam ut in Evangelio vivat. Quare si *verna* & *emptiti*, qui in *adibus* erant *Abrahami*, ad circumcissionem admittentur, multò magis hanc quæ in *adibus Avie* nata sit, admittendam esse. Quid adhuc *Farellus*? Rectè & cordatè, Ecclesiam ludi, affirmat. Scilicet credibile non esse, ut mater quæ filiam mancipaverat *Satana*, sub quo, & non sub Evangelio ea fatebatur se victuram, operam daret, ut neptis, quam minùs charam habebat, in Evangelica veritate instrueretur; Prius specimen daret in filia quam perdidit, eamque reduceret. Adeoque constans hæc *Farelli* mens fuit, non esse Baptisandum infantulum, quin sit in potestate Eorum, cum quibus est fœdus Dei. Hinc ad exemplum *Abrahami*, ejusque *Vernarum* respondet, longè aliam Illorum rationem esse; nec enim in *Avia* ista vel micam fidei, quam tantus Dei servus habebat, existere, nec

Abrahamum unquam aliquem ex suis mancipasse sacrilegiis Idololatrarum, & rursus perseverantem in impietate in aedes suas admisisse, & infidelis prolem tentasse circumcidere. Unde porro instat rogando; quâ ratione puella munda esset? Num Patris? At illum esse prorsus impium. Num matris? At illam defecisse à Christo, & in ea defecatione pergere. Concludit ergo, cum immunda sit, quis nisi maledictum incurrens, mundam affirmaret? Et ista quidem Farellus ad Calvinum. Quid igitur Calvinus? Farelli sententiam approbat. Ep. 149. Ait, absurdum esse, ut Eos baptisemus, qui corporis nostri membra censerî nequeunt; in hoc ordine cum sint Papistarum liberi, se non videre, quomodo Baptismum Illis administrare liceat. Addit alteram rationem; stipulamur, inquit, ab iis qui offerunt, ut adultos erudiant in ea fide, in qua baptisantur. Si nemo fidejubeat, profanari Baptismum certum est. Si verò promittant fide jussores, quod non est in eorum potestate, palam luditur Deus, præsertim si hoc notum sit, non serio, sed tantum defunctoriè promitti. Nam si astute fallunt, culpa vacuus est Minister. Ceterum minime dubitamus, non alios esse idoneos sponsores nisi penes quos sit præstandi facultas, hoc est, qui infantem habituri sint in sua potestate, vel qui Patris aut Matris rogatu fidem suam Ecclesiæ obligent. Atque idem docet alibi epist. 381. Qui passim nulloque delectu vel discrimine quoslibet admittit ad Sacramenta, quin ea profanet non dubito. Et paulò post; nisi inter nos vigeat discrimen aliquod, pro confesso sumimus Baptismum profanari. Et in Epistola ad interrogata Knoxi ex communi Collegarum suorum sententia ita respondet; Merito queris, an Idololatrarum & Excommunicatorum liberos ad Baptismum admittere liceat, donec resipiscentiam Parentes sint testati. Semper enim attentè cavendum, ne profanetur mysterii hujus sanctitas, quòd fieri certum est, si promiscuè alienis conceditur, vel quisquam recipitur sine idoneis sponsoribus, & qui numerari queant inter legitimos Ecclesiæ Cives. Ac paulò post; Necessaria est sponsio. Nihil enim magis præposterum, quàm inseri in Christi corpus, quos non speramus fore ejus discipulos. Quare si nullus ex cognatis appareat, qui fidem obliget Ecclesiæ, accuram suscipiat docendi infantis. **LUSORIA** est actio, & Baptismus poluitur. Nec isthæc Farelli aut Calvinî privata, sed omnium Ecclesiarum publica & indubitata est sententia. Fundamentum enim, cur Infantuli sint Baptisandi, omnes hoc ponunt, quia in fœdere sunt. Quos igitur Dei fœdus non completitur, eos à Baptismatis jure alienos esse constat. Sic ipsa Catechesis nostra **Quest. LXXIV.** infantes baptisandos esse docet, ex eo capite, quòd æquè atque adulti ad fœdus & Ecclesiam Dei pertineant. Ad quæ verba Ursinus; Omnes, iique **SOLI** sunt baptisandi ex Christi mandato qui sunt Christi Discipuli, hoc est, qui sunt & haberi debent membra visibilis Ecclesiæ, sive ii sint adulti profitentes fidem & penitentiam, sive infantes in Ecclesia nati. Et **Altingius** in vindiciis Catechetice, cum Novatores objicerent, quæstionem istam Catecheseos non acuratè formatam esse, & hoc potius modo proponendam; Suntne etiam fœderatorum Infantes Baptisandi? respondet, additamentum hoc esse supervacaneum, quia satis constat

stat de fidelium tantum infantibus hic quæri, cum *ſ* quaestiones *ſ* responſiones omnes ad SOLOS fideles ſint directæ. Sed quid hiſce immoramur? Neminem noſtrorum Theologorum unquam videris, qui *adequatum*, ut vocant, baptiſmi ſubjectum aliud ſtatuerit, præter fideles aut fidelium liberos. Hinc & *Disciplina Eccleſiarum Gallicarum cap. XI. Can. IV.* diſtictè ponit; Les enfans des Peres & Meres de l'Egliſe Romaine, & des excommuniés ne pourront être receus au Baptême des Eglifeſ Reformées, encor qu'ils fuſſent préſentés par Parreins fideles, ſi le Pere ou la Mere n'y conſentent, ou le requierent, & ſe demettent de leur autorité, en quittant & cedant aux Parreins leur droit quant à l'Inſtruction, avec promeſſes qu'ils ſouffriront que leurs enfans ſoyent inſtruits en la vraye religion. Et Synodus Nationalis Pariſienſis anno 1559; Le Pere & la Mere eſtans excommuniés, leur enfant ne ſera receu au Baptême: juſques à ce que les dits Pere & Mere où l'un d'eux ſe ſoit reconcilié à l'Egliſe, ſinon que le Grand Pere ou la Grand Mere du dit enfant ſe préſentaſſent, auquel cas ſera receu, d'autant qu'il eſt leur ſang iſſu d'eux. At eadem ratio Excommunicatorum & Romanenſium. Vides igitur, mi Eubule, non pauca nec levia argumenta eſſe, quæ circa iſtiusmodi Baptiſmi collationem dubium me hæcenus & anxium reddidère. Tu igitur promiſſum jam exolve, nodos ac tricas quibus implicitus hæreo expedi, ac veritatis ſolidiori & evidentiori demonſtratione, ſi poties, animum meum inſtrue, & in priſtina tranquillitate confirma.

E V B. In timore Dei ſedulò expendam quæ propoſuiſti; dein quæ circa ea meditatùs fuero, Tecum communicabo. Temerarium enim exiſtimo & cauſæ gravitate indignum, ut ſine maturiori conſideratione leviter adè & deſunctoriè, quicquid in mentem jam incidit, Tibi respondeam.

C A V T I O.

Rationes à Theophilo recenſitas Respondens nunc quidem ea fini defendet, ut vis earum atque momentum evidentius pateſcat: invalidas tamen nec ad probandum Theophili inſtitutum efficaces eſſe, proximâ diſputatione, adjuvante Deo, oſtendemus.